


OS (41.) SO



EXERCITATIO III.

De

PRÆVISIONE POENITENTIÆ TYRIORUM ET SIDONIORUM.

Pertia succedit quæstio de *prævisione* poenitentia Tyriorum & Sidoniorum, quam egissent, si virtutes Christi vidissent, in cujus explicatione secundum *Analogiam fidei* institutâ quantum sit situm, *fervor adversariorum* evincit, qui præscientiam futurorum vel planè infringunt, vel ex absoluto Decreto derivant, vel ad stabiliendum Pelagianismum suo more applicant, & extendunt. Quamvis autem quidam inter nostrates Theologos hanc foverint sententiam, Christum non intimasse hoc in loco præcisè & infallibiliter, quod Tyrii & Sydonii poenitentiam acturi fuissent, sed *conjecturaliter* tantùm locutum esse, quorsum referenda sunt verba B. Brentii Homil. 93. in Lucam. p. m. 1041. *Christus loquitur hoc loco juxta humanam conjecturam; tanta enim Virtutes edita fuerunt in Bethsaida, Chorazin & Capernaum, ut pro humano Judicio verisimile fuerit, quod impii etiam, ac incircumcisi Idololatra poenitentiam egissent, si tanta miracula vidissent;* constat tamen, communiter fermè à Doctoribus Orthodoxis pro infallibili pronunciato agnoscisci, quod Christus affirmavit de Poenitentia Tyriorum, Sidoniorumque. Ex eo verò, quod Christus hic dicit, gentiles illos poenitentiam acturos, si signa, quæ in Chorazin & Bethsaida edit, vidissent, rectè colligunt Theologi, quod etiam futura contingentia divina Omniscientia Objectum sint, verba sunt J. E. Gerhardi, in Notis ad h. l. quibus subjungit consensum Martini & B. Par. in loco de Provid. Addere facilè possemus alios, nisi nimis noti essent. Præterea & hoc constat, præsens testimonium in materia

F

teria